



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

11. An Episcopus incurrat irregularitatem, si concedat licentiam iudici laico
exhumandi corpus occisi ab Ecclesia ad finem capiendi informationem de
delicto in genere? & in §. vltimo huius ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et quid dicendum, quando dubium est de jure, hoc est, an sit pro aliquo delicto commissio imposita à jure aliqua irregularitas, an tunc judicandum sit non esse irregularitatem in eo casu constitutam? Ex part. 4. tract. 2. Ref. 80.

Quoad hoc
lege doct.
Ref. seq.

§. 1. **R**espondeo negativè, & ita habetur expressè in c. is qui, de sentent. excommunic. in 6. Unde in hac materia non valet argumentum à simili, ut pluribus supra dictum est, neque à fortiori, &c. nec obstat c. ad audientiam, & c. significasti, de homicidio, ubi statuitur censendum esse irregularem eum, qui de irregularitate sui dubius, atque incertus est; eo quod in dubio tutior pars sit eligenda: ergo non solum ubi est irregularitas expressa, sed etiam ubi dubium est, incurritur.

Sup. sine du-
bio de jure
inf. in Ref.
89. §. Proba-
tur paulo
post init. à
verbo. Sed
quando ver-
samur in du-
bio. Sed ad-
verte quod
sub eodem
num. Ref. 89.
sunt duæ
Ref. unitæ, &
sup. citatur
§. est in se-
cunda Ref.

2. Non, inquam, hæc jura obstant, nam procedunt ubi dubium est de facto, sed cap. is qui, procedit de jure; igitur quando dubium est de jure, hoc est, an sit pro aliquo delicto commissio imposita à jure aliqua irregularitas, tunc est judicandum non esse irregularitatem in eo casu constitutam, cum talis irregularitas non sit in jure expressa, & ita docent Aloysius Bariola in aphorismis, lit. 1. verbo irregularitas, §. 10. Valent. tom. 4. disp. 7. §. 19. punct. 20. notab. 3. Petrus Cornejo in 3. p. D. Thoma tr. 5. de irregularitate, disp. 1. dub. 2. Suarez de censur. disp. 4. sect. 4. num. 15. Sayrus lib. 6. c. 2. num. 4. & alii communiter; unde summopere notanda est hæc doctrina à Confessariis & casuum conscientiarum responsoribus, nam ex illa ab incurusione irregularitatis multos pœnitentes liberabunt.

RESOL. IX.

An communis opinio Doctorum possit introducere aliquam irregularitatem, etiam si clarè non sit expressa in jure?

Idem censendum est de quibusdam censuris, v. g. suspensione propter susceptionem Ordinis per saltum? Ex p. 8. tract. 7. & Misc. Ref. 18.

Quoad hoc
lege doct.
præced. Ref.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Layman lib. 1. tr. 7. part. 5. c. 1. num. 6. ubi sic ait. His adde quod defectus, ob quem irregularitas incurritur, debet esse specificè nominatus in jure: neque ab uno ad alium casum, ob similem, vel majorem rationem, extensio fieri potest, sicut ex communi docet Navarr. c. 27. num. 194. in fine. Suar. disp. 40. sect. 5. & 6. Quamvis negari non posse videtur, quasdam irregularitates sine jure expresso per Doctorum ita opinantium auctoritatem introductas, atque diuturna Ecclesiarum consuetudine firmatas fuisse, quæ non minus, quam aliæ censuræ, vim obtinere debent, tum quia consensus Doctorum, & Ecclesiarum consuetudo optima est factorum canonum, & antiquæ observationis interpret: tum quia universum verum est, quod consuetudo per tacitum consensum sit constitutiva juris, et si lex scripta desideretur. Et quod dico de irregularitate, idem sentiendum de quibusdam censuris, v. g. suspensione propter susceptionem Ordinis per saltum: quæ suspensio nullo jure satis expressa censetur, sed per consuetudinem stabilita; ideoque obiter approbata per Trident. sess. 23. c. 14. de reform. Hucusque Layman; unde ex hac doctrina posset quis dicere, quod licet irregularitas ex defectu lenitatis in jure sit lata solum contra concurrentes ad mortem tantum ministros justitiæ, tamen per Doctorum communem sententiam, & per consuetudinem jam videtur extensa ad omnes qui neci coopeantur, etiam si non sint justitiæ administri.

2. Sed his non obstantibus aliqui hanc Laymanni sententiam non admittunt, & ideo novissimè Ioannes Machadus de Perfect. Confess. tom. 1. lib. 1. part. 3. tr. 15. docum. 1. num. 5. sic asserit: Et tamen principio llano dispuesto por Derecho, y muy necesario para deducir del muchos casos especiales, que los Doctores disputan en esta materia; que no se deve admitir irregularidad alguna, que no este expressa en Derecho. Tanque es assi, que el Padre Layman es de parecer, que aquellas irregularidades que aunque sin Derecho expreso estuviere introduzidas por la autoridad de los Doctores, y comunmente recebidas con la costumbre antigua de la Iglesia, no deven ser menos admitidas, que las que estuviere expresas en el. Con todo esto es comun doctrina, y casi recebida de todos, fundada en Derecho expreso, que no se deve admitir irregularidad, que no estuviere expresa en el; ni por sola la autoridad de los Doctores que la introduzen, ni por averla admitido la costumbre, ni porfue en el Derecho la aya, y se incurra en caso menor, o semejante. Ita Machadus: cujus sententia satis probabilis mihi videtur, licet contrariam etiam probabilem existimem cum Baunio in Theolog. mor. part. 2. tr. 11. §. 3. ubi concedit probabile esse, tam consuetudine Ecclesiarum diuturna, quam auctoritate Doctorum, ita sententium irregularitates aliquas induci posse.

RESOL. X.

An Episcopi incurvant irregularitatem, quæ feruntur aliqui jure generali?

Et an aliquo jure Episcopi excipiantur ab incurvendo excommunicationem, quamvis excipiantur ab incurvendo suspensionem, & interdictionem, quæ jure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate, & excommunicatione? Ex p. 4. tr. 2. Ref. 33.

§. 1. **N**egativè respondet Majolus lib. 1. de irregular. c. 1. n. 7. nam in c. quia periculosum, de sentent. excommunic. in 6. statuitur Episcopos non teneri jure generali ferente suspensionem, aut interdictionem. Sed quia iste Doctor erat Episcopus, agebat causam suam: cum igitur sine fundamento loquatur, non est recedendum à contraria sententia quam docet Hurtado di. 1. de irregul. diff. 7. n. 26. & Turrianus de cens. lib. 8. disp. 59. dub. 1. quia nullo jure excipiuntur ab incurvendo irregularitatem, imò nec ab incurvendo excommunicationem, quamvis jure dicti cap. excipiantur ab incurvendo suspensionem & interdictionem, quæ jure generali feruntur, quæ sunt distincta ab irregularitate & ab excommunicatione.

RESOL. XI.

An Episcopus incurvat irregularitatem, si concedat licentiam judici laico extirpandi corpus occisi ab Ecclesia ad finem capiendi informationem de delicto in genere?

Et in §. ultimo hujus Resolutionis invenies aliud pollicens dubium notabile, & grave? Ex p. 4. tr. 2. Ref. 95.

§. 1. **R**espondet negativè Julius Lavois in suis sept. lib. variis elucubrationibus tit. 2. c. 7. n. 31. quia ad remissionem lenitatis requiritur quoddam actus qui sit, sit causa proxima & directa in mortem, vel mutilationem; non autem causa remota, ut ex Navarro cap. 21. n. 211. & Avila de censur. part. 7. disp. 5. sect. 2. docet Turrianus de censur. lib. 9. disp. 66. dub. 3. Sed in nostro casu actus ostendendi cadaver occisi, est remotissimus, & lupæ naturæ

natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur, sed tantum permittit exhumari corpus, & capi informationes. Ergo, &c. & ita hanc sententiam præter Lavorium docet etiam in terminis, ut dici solet, terminantibus Doctus Aloysius Riccius in *praxi tom. 1. resol. 453.* & ita practicum fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana testatur M. Antonius Genuensis in *praxi cap. 42. num. 10.* & ita etiam docet Venerus in *exam. Episc. lib. 2. cap. 23. num. 19.*

2. Notandum est etiam hic quod Genuensis ubi supra testatur in dicta Curia resolutum fuisse, posse concedi Curiaæ seculari copiam sententiæ dispositionis, sive degradationis verbalis, & renunciationis habitus Clericalis alicujus Clerici inquisiti de homicidio in Curia seculari, alleganti se esse Clericum, & Curia secularis negabat esse Clericum, ob prædictam depositionem, & renunciationem: sed tu in supradictis cogita.

RESOL. XII.

An irregularis possit iniciari prima Tonsura sine prævia dispensatione?

Ex quo inferitur, an prima Tonsura sit Ordo? Ex p. 4. tr. 2. Resol. 88.

Negativam sententiam docet Avila de *cenfur. part. 7. disp. 2. dub. 6. concl. 1.* Præpositus in addit. ad 3. part. D. Thomæ *quest. 5. de irregularitat. dub. 3. num. 11.* Suarez *tom. 5. disputat. 40. sect. 1. num. 11.* & alii communiter, asserentes irregularitatem reddere hominem inhabilem etiam ad primam Tonsuram.

2. Sed adversus hanc sententiam (attendas quæso amice Lector) adest maximum argumentum, supposita communi sententia Theologorum asserentium primam tonsuram non esse Ordinem, cum D. Thoma ad 3. part. *quest. 40. art. 2. Valquez tom. 3. disput. 236. cap. 1. n. 9. & disput. 237. cap. 2. Bellarmino lib. 1. de Clericis, cap. 11. Martino Fornario tract. de Ordine cap. 7. n. 1. Filiucio tom. 1. tract. 9. cap. 1. n. 13.* & novissime solide, ut semper solet, cum Patre Hurtado de *Sacram. tract. de Ordine, difficult. 2.* quorum sententia supposita sic argumentor. In odiosis non est facienda extensio de uno casu ad alium; sed Canones asserunt irregularem esse incapax Ordinum; ergo non erit incapax primæ tonsuræ, quia, ut dictum est, propriè non est Ordo; tonsuratus enim ordinatus dici non potest, quia ordinatus habet peculiare officium ad Eucharistiæ celebrationem directum; sed tonsuratus nullum habet officium circa ministerium Altaris, ita ut dici possit deputatus ad Ordines, sed non ordinatus. Ergo, &c. Sed his non obstantibus, quia opinio negativa est communis, non audeo ab ea recedere, & ideo illam omnino tenendam esse existimo.

RESOL. XIII.

An iniciatus Ordinibus minoribus, & Sacris, non suscepta Tonsura, sit irregularis, & teneatur dictam Tonsuram sumere?

Ex quo deducitur, an Tonsura sit Ordo? Ex p. 6. tr. 8. Misc. 3. Ref. 29.

De hoc casu consultus fui à quodam Antiquite & pro primo dubio dixit habuisse responsum affirmativum à quodam Theologo inclitæ Societatis IESU, & in terminis adducebat Martinum

Fornarium de *Sacram. Ordinis, capite 8.* ubi testatur Sacram Congregationem Concilii declarasse eum qui dimissa prima Tonsura ordinatur esse irregularem. Quia ut tenent communiter Canonistæ prima Tonsura est Ordo. Ergo talis suscepit ordinem per saltum, & per consequens contraxit irregularitatem.

2. Sed his non obstantibus ego sententia negativæ adhæsi, * quia Tonsura non est ordo, idque non tantum juxta receptam Theologorum doctrinam, sed etiam juxta ipsum jus Canonicum; quod Tonsuram neque inter minores, neque inter majores ordines agnoscit, *Can. seriatim, dist. 32. Can. illud, dist. 72. Can. à Subdiacono, dist. 93.* Quibus conformiter Concilium Tridentinum Tonsuram quoque ab Ordinibus tam minoribus, quàm majoribus distinguit *sess. 23. cap. 4. 5. 6. 11. 12. 13. de Reformat.* Sicut etiam Romanum Pontificale tum alibi, tum quando dicit Clericatus sive prima Tonsura quocumque die, hora, & loco conferri potest, minores verò Ordines possunt dari singulis Dominicis & festivis diebus duplicibus ubicumque, in mane tamen.

3. Confirmatur, illi demum sunt Ordines, qui pro materia habent rem quampiam, per cujus traditionem ipsi conferuntur, juxta *Synod. Flor. Tonsuræ autem nullos assignat materiam per cujus traditionem ipsa conferantur.*

4. Nec valet dicere quod pars affirmativa suadetur primò, ex *cap. cum contingat, de atate & qualitate perficiendorum*, ubi dicitur: Per primam Tonsuram Clericalis ordo confertur. Secundò ex *Alcuino lib. de divinis Officiis, cap. 35. sive de Tonsura Clericorum*, vocante Clericatus ordinem. Tertiò ex motu propria Sixti V. anno 1588. contra malè promotos ad Ordines, ubi, primam Tonsuram appellat characterem Clericalem. Quartò ex eo quod in Trident. *sess. 21. cap. 1. de reform.* dicatur: nihil pro collatione quorumcunque Ordinum etiam Clericalis Tonsuræ accipiant, scilicet Episcopi eamque partem communius sequuntur Canonistæ, quibus unus vel alter Theologus suffragatur. Cæterum communissimè Theologi sentiunt non esse ordinem, quorum sententia est omnino verior. Ergo, &c.

5. Nam respondeo ad primum, & dico: nomen Ordinis in illo capite sumi pro gradu in Ecclesia, absque ulla tamen potestate spiritali, & proinde non sequi primam Tonsuram esse ordinem prout usu Ecclesiastico in hæ materia sumitur, per quod.

6. Respondetur ad secundum, quod Alcuinus solum voluerit significare hominem per primam Tonsuram constitui in gradu eminentiore supra cæteros fideles Laicos, non verò voluisse, quod per illam ulla spiritalis potestas conferatur.

7. Ad tertium dico, per characterem clericalem, Pontificem solum voluisse significare destinationem ad statum clericalem.

8. Ad quartum dico, satis patere de sententia Concilii Trid. ex *cap. 2. cit. illo ergo cap. 1. sess. 21.* solum vult: non licere quidquam accipere, non solum pro collatione Ordinum, sed etiam primæ Tonsuræ, & quibusdam aliis, quæ ibi recenset.

9. Et ita hanc sententiam tenet doctus Stephanus Bauny in *Theol. Moral. tract. 7. quest. 3.* Tiberius in *instruct. Ord. in c. 2. quest. 15.* Bonacina de *Sacram. disput. 8. quest. unica, punct. 1. n. 6.* & alii, quos citat & sequitur Sanchez in *opusc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 6. n. 6.* quibus adde Villalobos in *summa, tom. 1. tract. 11. diff. 2. n. 4.* Ioannem Petit in *Theolog. Moral. tract. 7. lect. 93.* Eligium Bassæum in *Florib. Theolog. pract. verb. Ordo 1. num. 3.* Ioannem Vigier de *Sacram. in 3. part. D. Thom. quest. 37. art. 1. num. 6.* Ergo cum prima

S. 4 Tonsura

*Sup. hoc in ref. præteri-
to §. 2. à lin.
4. & in ref.
seq. eursim
in fin. & inf.
in ref. 138. §.
Quare, ad
med. à verif.
Quia primæ
Tonsura. &
sup. in tr. 3.
ref. 12. à lin.
4. & in ref.
25. §. 2. ad
lin. 3. & in
ref. 34. ad
lin. 10. & ip-
sin §. penult.
& seq. & in
tom. 3. tr. 1.
ref. 65. §.
ult. à lin. 4. &
ibi in tr. 5.
ref. 14. à
lin. 3. & §§.
seqq.